



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ōrigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Hapanta Ta Hellēnisti Heuriskomena

Origenes

Coloniæ, 1685

Libri secundi partitio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79842](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79842)

A magis mirandum est ab erudito viro in hunc censum Potamianam adscribi, Basilide expun-
cto. Quasi vero parum credibile sit virum bellicæ rei deditum, cum Origenis fama per-
motus esset, accessisse ad eum, & nonnulla rerum Christianarum accepta ab eo notitia, cum
Potamianam ad supplicium pro munere suo deduceret, eam ad improborum hominum pe-
tulantiâ prohibuisse, ab eaque postmodum jam fato functa secundum quietem excitatum,
Christi fidem palam fuisse professum. Huc etiam confert Nicephorus Alexandrum Hie-
rosolymitanum Episcopum, & Cæsariensem Theotistum; quibus Mammæam quoque ad-
jungere, & memoratum illum ab Eusebio Arabiæ Præsidem rationi consentaneum est. De-
nique *Innumerari*, inquit Vincentius Lirinensis, *ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Con-*
fessores, & Martyres extiterunt.

Niceph. l.
5. cap. 20.
Euseb. l. 6.
Hist. c. 19.
Vincent.
Lirin. adv.
Har. Com-
monitorio
1. cap. 23.

ORIGENIANORUM

LIBER SECVNDVS.

ORIGENIS DOCTRINA.

Libri secundi partitio.

E XPLICATA Origenis vita; institutus ordo postulat ut ad exponendam ejus doctri-
nam progrediamur. Id propositum fronte simplex, multiplex sane est in recessu: nam
& de eruditione Origenis, & iis quibus potissimum dum viveret animum informa-
vit artibus & studiis, nonnulla præmittenda erunt. Tum dogmata illius suis distincta pro-
ponentur capitibus; non ea quidem quæ Ecclesiæ decretis consona universa tulerunt suffra-
gia, vel quæ levioris sunt momenti; sed quæ majoris in Ecclesiâ ponderis à communibus &
receptis sunt aliena sententiis; eaque præsertim quæ Patrum subinde censuris & Anathe-
matis Synodorum vexata sunt. Quibus subjungetur Origenianæ doctrinæ, non dicam Apo-
logia; nam neque ausim, neque sane velim, sed accuratum & præjudiciis omnibus liberum
ac solutum examen. Hinc ad ipsam Dogmatum illorum describendam summam fortun-
nam accedemus, ut quas excitavit in Ecclesiâ procellas, quantis partium studiis oppugnata
& propugnata sint, palam fiat. Atque ita in capita quatuor Liber iste distribuitur. I. agitur de
eruditione Origenis. II. Dogmata ipsius excutuntur. III. Doctrinæ ejus generale examen
continetur. IV. Fortuna doctrinæ ejusdem narratur.

CAPUT PRIMUM.

ORIGENIS ERUDITIO.

I. *Scripturæ callentissimus fuit Origenes, II. sed Ebraicæ linguæ parum consultus, Sa-*
maritana vero penitus ignarus. III. Scripturæ Interpretes, scriptoresque Ecclesiasticos stu-
diose legi: IV. Sacræ doctrinæ causa excoluit τὰ ἱερὰ, Philosophiam præsertim; V. sed
& reliquas disciplinas.

I. PRIMUM illud ac præcipuum fuit Origenis à teneris pueritiæ annis ad obitum
usque studium, ad interiorē ac reconditam sacrarum literarum peritiā pene-
trare. In quo quidem ita se tractavit ut admirabile esset, nec quisquam deinde
tantum in ea exercitatione consecutus sit; sive literarum ipsarum, quemadmodum vocant,
spectes, quam totam memoriā ita commendaverat, ut locos omnes ex tempore, etiam li-
bris inconsultis, apposite recitaret; sive intimos ac latentes sensus, quos tanta sagacitate
eruit, ὡς ἐξ ἐνός, inquit Suidas, πάντας τοὺς μετέπειτα τῆ ἐκκλησίας διδασκαλὸς καὶ ἀφορμὴς εἰληφέναι

d

Id